

PIUS PP. XII
AD REVERENDUM P. GERARDUM RAMAKERS,
CARTUSIANI VEDANAE COENOBII MODERATOREM :
QUINTO VERTENTE SAECULO AB IPSO COENOBIO CONDITO

(Acta Apostolicae Sedis, 38 (1956), p. 614-615)

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Iam quintum expletur saeculum, ex quo coenobium vestrum conditum est ; idque dum vobis in memoriam revocat tot tantaque sanctitatis, doctrinae ac paenitentiae opera a maioribus vestris inibi exanclata, vos singulos permovere debet ad eiusmodi praeclara exempla non modo mente recolenda, sed pro viribus etiam imitanda. Vestra religiosae vitae professio, ut probe nostis, celsissima est : etenim si aliorum hominum est Deum cognoscere, amare, revereri, vestrum esse debet — quatenus hac in mortali vita licet — eum etiam sapere, ac perfrui suavitate quidem illa, quae caelestis dulcedinis imago est et auspiciium ; ac si pariter ceterorum hominum est Deo servire, vestrum esse debet eidem plane adhaerere, eiusque voluntati rebus in omnibus ita in terris obtemperare, sicut Angeli in Caelis conformantur. Est igitur quasi angelicum vitae genus, ad quod Deus superno instinctu divinaque gratia sua vos advocavit ; quamobrem gratissimum erga eum habeatis animum oportet pro tam excelso accepto beneficio.

Attamen — id etiam profecto nosti — quo maiora sunt Dei munera, eo promptius et actuosius esse debet voluntatis vestrae studium : quod quidem studium non solum a vobis postulat ut umbratilem, solitariam ac paenitentem vitam omnino Deo dicatam agatis, sed illius etiam caritatis exardescatis flamma, qua animus vester ad ceterorum hominum salutem procurandam moveatur. Ad quam aliorum salutem multum profecto conferetis precando, paenitendo, expiando contemplandoque ; sed non in isto omnia. Siquidem, ut Angelicus Doctor admonet, «maius est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari»¹. Quantum igitur vobis statuta vestra concedunt, effatum illud ad effectum deducite : Ora et labora. Quodsi in apertum campum vos ipsimet prosilire nequitis, salutariter excitent hominum ordines virtutum vestrarum exempla, itemque studiorum vestrorum commentationes, eae praesertim, quae de divina doctrina, de morum integritate tuenda, et quae de necessitate precandi, expiandi, contemplandique caelestia agant.

At potissimum eorum in numero esse contendite, qui id facere enituntur, quod Moyses super verticem collis in conspectu Domini positus, elatis manibus elatisque precibus agebat aeterno supplicando Numini, dum populus demissiore in loco adversus hostes pugnabat². Vestris siquidem precibus vestrisque virtutibus, laborant!, incertae, atque animorum inimicis agminibus circumventae multitudini a Deo conciliate pacem, concordiam, imprimisque illam caelestium rerum sapientiam, qua tantopere indiget. Hac profecto agendi ratione, et religiosae professioni vestrae

¹ Sum. Theol. III, q. 188, a. 6, 3.

² Cfr. Exod. XVII, 9-12.

optime respondebitis, et maiorum vestrorum exemplis, quae fausta hac occasione commemoraturi estis, insistentes, id consequemini, ut non modo ad vestram, sed ad aliorum etiam procurandam salutem non parum conferatis.

Haec Nos, saeculari hac faustitate, vobis ex animo ominamur a Deo, dum caelestium munerum conciliatricem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, dilecte fili, tum Religiosae Familiae tuae Apostolicam Benedictionem perlibenter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die iv mensis Augusti, anno MDCCCCLVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

PIUS PP. XII